

Tom. XIII
Miscellaneous Philology.

[Faint handwritten scribble]

The
D
G
A
P
E
S
A
E
C
E
T
P
G
S



27. 28

TESTAMENTUM
DAVIDICUM,
Sive
ULTIMORUM VERBO-
RUM DAVIDIS

II. Samuelis XXIII. 1. seqq.

SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.

DISPUTATIO II.

exhibens ἐξήγησιν
versiculi 3.

Quam

In Inclutâ Academiâ VVittebergenfi

PRÆSIDE

JOHAN. ANDREA QVENSTEDT,

SS. THEOL. D. & Prof. Extr.

*Dn. Patrono, Præceptore atq; Fautore suo æternum piè de-
venerando,*

publicè defendet

CHRISTOPHORUS LÖHNERUS

Neofolio-Hungarus.

In Acroaterio Majori,

Add. V. Maji M. DC. LV.

WITTEBERGÆ,

Typis JOBI WILHELMI FINCELII, ANNO MDC LV.

TESTAMENTUM
DAVIDICUM

ULTIMORUM VERBORUM
DAVIDIS

DISPUTATIO II
SUUINCTA ET ORATIONE EXPOSITIO

IOHANNES ANDREAS QVINTEDT

SS. THEOL. D. & P. OF. LIT.

in hacten Academiæ Vindoburgensis

CHRISTOPHORUS LÖNNERUS

AB. V. M. D. C. L. V.

WITTEBERG

Dum



TE Pietas, studium, LÖHNERE, modestia, candor,
Et tua TE cunctis prælia docta probant,
Perge ut cœpisti sacros perferre labores,
Ingenii fructus Patria mille feret.

Amicâ manu ac mente adposuit

PRÆSES.

Fallaces laqueos incautis letifer angvis
Implicat ingenijs, decipit ut cruciet.
Non satis est nostros vinculis strinxisse priores,
Dente venenato semina serâ petit.
Quid facimus miseri? unde est querenda medela?
Pagina sacra hostem vincere sola docet.
Hanc Löhnere sequens conscendis pulpita docta,
Ore pio Jovæ dicta sonare cupis.
Laudo; Quid astiduis enim pallefcere chartis
Prodest, quæ nosti si dare verba negant.
Nemo sibi tantum natus: Conferre laborem
Fractus commissis sana jubet ratio.
Mellifica volucres condunt sic dulcia dona
Commoda quò nobis cellula quæq; ferat:
Cultus ager gravidis calamum producit aristis,
Hos ipsum nostri muneris esse monens.
Id facies quondam tibi cum felicior hora
Venerit, ut letus patria tecta petas.

*Pereximio atq; charissimo Dno
Respondenti gratulab. f.*

Jacobus Feldtner, Thorun. Prufs.

Dum

Dum tibi tantus amor, dum scandere tanta cupido est
Pulpita, Appollineo sacra dicata choro.
Ecce tui mea Musa memor, congauget Amico,
Atq; venit plaudens in tua vota ferax.
Sic didicisse iuvat, sic perlustrasse libellos
Prodest, sic studiis invigilasse bonis.
Maeste igitur virtute novâ, cui Enthea Diva,
Et cui cum Musis, doctus Apollo favet.

*Hac, Exim. & Præstantiss. Dn. Respondenti,
Amico, Conterraneo, ac Contubernali
devotissimo, debita observantia ergo,
apposuit,
Johann. Hadikius Trench, Hung.*

Regis Jessai dum tractas ultima verba,
Rem, LÖHNERE, sacram non sine laude facis.
Quam benè cœpisti, pertexere pergito telam,
Sic DEUS ex alto commoda multa dabit.

*Eruditissimo DN. Respondenti, Amico suo co-
lendo hæc opponere ut debuit sic voluit*

Johannes Samuel Röhm, Phil. & Theol. Studiosus.

Quod tactare viam hanc, LÖHNERE, hunc scandere pontē
Pergis, laus certè non moritura manet.
Hinc honor exsurget novus, & nova gloria surget,
De quâ gratatur nostra Camæna Tibi,
Cùm repetens patriam sedem conamine docto,
Divite contribuet munera cuncta penu.
Pergito Theilogiæ sic scandere pulpita sacra,
Patria Te quondam sopite clara cluet.

*Eximio & Literatiss. Dn. Resp: Conterr. Contub. & Ami-
co suo Amiciss, Germano mentis affectu adposuit*

And. Güntherus Cæsareop, Ungarus.



EXPLICAT. VERB. ULT. DAVID.

II. SAM. XXIII. I. seqq.

Vers. III.

TH. I.

DE versiculo I. & II. disputatione I. divino adspirante Numine egimus, nunc ad III. vers. *ἀνευ προσώμου* in nomine JESU progredimur: *לֵךְ אֵלֶיךָ יְיָ אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל לֵךְ אֵלֶיךָ יְיָ אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל* LXX.

Disput. II. publica Responsion Christoph Löhneri Neos. Hung.

Interpret. versio: *ἔειπεν ὁ Θεός Ἰσραὴλ, ἐμοὶ ἐλάλησε πλάτης Ἰσραὴλ*, Vulgata: *Dixit DEus Israel mihi, locutus est fortis Israel*. Tigurina: *DEus Israel dixit mihi, loquutus est Petra Israelis*. Pagnini; *Dixit DEus Israel; mihi locutus est fortis Israel*. Tremellij; *Dixit DEus Israelis, mihi loquuta est rupes Israelis*. *אָמַר* est tertium verbum, quod post *בְּרָא* & *רָחַף* sub initium Sacrarum literarum DEO tribuitur. Observandum autem nonnihil discriminis esse inter verbum *אָמַר* & *דָּבַר* seu *דִּבֶּר*, quod utrumq; in hoc commate occurrit. Nam I. *אָמַר* semper habet respectum ad aliquid, cui dicitur, quod ipsum vel expressè ponitur, ut hoc loco *אָמַר לִי* *dixit mihi*, vel subintelligitur, ut Gen. XII. 13. *אָמַר־נָא* *Dic quæso* (subaudi, interrogantibus te) *quod soror mea es*. *דָּבַר* verò (pro quo hîc *דָּבַר* cum segol legitur, vide Grammat. Mart. Trostii annotatione 3. ad conjug. secundam) significat loquutionem absq; tali respectu. Sic enim docent Hebræorum magistri; *אָמַר* semper alteri jungitur, sed *דָּבַר* est absq; conjunctione ad alterum. Minus accuratè igitur Versio Pagnini, quæ in Opere Regio,

F

(quod



(quod auspicijs Philippi II. Hispaniarum Regis adornavit Benedictus Arias Montanus,) Hebræo textui interferitur, ita distinguit; *Dixit DEus Israel, mihi locutus est fortis Israel, cum τὸ mihi non ad sequens, locutus est, sed ad præcedentia verba; Dixit DEus Israël, referendum fuisset. Rectius B. Lutherus; Es hat der Gott Israel zu mir gesprochen / der Hort Israel hat geredet.* Avenarius in Lexic. paulò aliter hoc discrimen exprimit; דִּבֶּר (inquit) *dixit, prædixit, edixit, condixit, significat actum dicendi, ideoq; semper sequitur declaratio & expressio dictionis, ubi illa non potest subintelligi, ut Genes. I. dixit DEus, (nempe) fiat Lux: item fiat firmamentum, colligantur aquæ, germinet terra, fiant luminaria &c. At דִּבֶּר est loqui & ponitur sine conjunctione rei dictæ, nisi intercesserit hoc verbum.* II. Observant Grammatici, verbum דִּבֶּר non dici de illis, quæ non loquuntur, nec per translationem quidem, דִּבֶּר verò per prosopopeiam inanimatis tribui, ut Jobi XXXVIII, 35. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & revertentia דִּבְרֵי אֱמֹרֵי לְךָ dicent tibi, adsumus.* Plura leges apud Mercerum in Thesauro Linguae Hebrææ.

II. Per *DEum Israelis* quandoq; tota SS. Trinitas, quandoq; una certa ex Tribus Deitatis Persona denotatur. Hoc loco unam certam & quidem Primam S. Trinitatis personam, *DEum Patrem*, per *DEum Israelis* designari patet I. quia à SPIRITU JEHOVÆ v. 2. & à PETRA Israelis, hoc est, DEO Filio v. 3. disertè distinguitur. II. quia JEHOVAH Pater totius augustissimi operis exarchus & moderator est. Is enim per Nathan Prophetam promittit Davidi filium, cujus thronum sit stabiliturus in æternum, regnumq; Davidicum fore fir-

EXPLICAT. VERB. ULT. DAV. II. SAM. XXIII. 1. & seqq. 43.

firmum jugiter ante faciem DEI. II. Samuel. VII. 5. seqq. I. Paral. XVII. 7. seqq. & hanc promissionē amplissimē explicat & celebrat David, cū in his ultimis verbis, tum Ps. LXXXIX. 4. 5. ubi in Persona DEI inquit; *Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. Usq; in æternum preparabo sement tuam. Et adificabo in generatione & generationem sedem tuam.* Et Psal. CXXXII. 11. *Juravit Dominus David veritatem & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

III. Appositissimè verò tribuit hoc loco Rex David nomen צור secundæ Deitatis personæ, h. e. Messia ex se nascituro. Notat enim vox צור *Saxum rupem, aut petram*, & per metaphoram ad fortitudinem, soliditatem, firmitatem & simile quid designandum solet adhiberi. Imò in genere dicitur de quavis re, quā quis fidit, aut nititur. Moses ben Maimon in More Nebukim, lib. I. cap. 16. observat, hac voce significari *montem vel arcem in rupe positam, item silicem durum; nec non Lapidicinam.* Lorinus ad Psal. XVIII. 34. adnotat צור denotare *rupem, petram, basin, centrum.* Ad Ps. XIX. 16. inquit *Tzur petra est, vel arx & quasi ἀκρόπολις, Græcè βουθός.* In Veteri Testamento DEUS locis pene innumeris dicitur צור Tzur (inquit Casaubonus Exercit. XV. num. 13.) *quam vocem Græci interpretes modò vertunt ὄρος montem, modò πέτραν petram aut rupem.* Petrae lapidisq; voces tributas etiam legimus hominibus. Genes. XLIX. 24. Joseph Aegypti prorex dicitur juxta aliquos; רעה אבן ישראל, *pastor lapis Israël, utpote quem pavit, quem tutatus fuit, cui possessiones & pascua assignavit, cui firmamentum fuit; atq; ita Christi typus & figura, qui simul & pastor bonus & Ecclesie angularis lapis factus*



est, ut exponit Rivetus in h. l. Alii nomen lapidis referunt ad DEUM ipsum, ut pastor lapidis Israel, sit ille, qui à DEO, Lapide Israël, in pastorem populi sui electus est, Esaiæ LI. i. Abraham princeps Patrum, רצפ *rupes, petra* appellatur; *Attendite ad petram, unde excisus estis, attendite ad Abrahamum, patrem vestrum.* Idq; vel ob fidei firmitatem, tanquam exemplum enim inconcussæ fidei passim proponitur, vide Rom. IV. 3. II. 18. vel ratione originis, quod magis probo, ita ut sensus verborum Prophetæ hic sit; Sicut excisus est petram Lapis ejusdem est naturæ cum rupe, unde est excisus: sic vos componite vitam vestram ad exemplum Abrahami, patris vestri.

IV. κατ' ἐξοχήν verò Deus רצפ *petra* dicitur, ideoq; inter nomina divina ab Hebræis ponitur. Nam quemadmodum vox רצפ etsi alioqui primâ significatione notat *fortem, potentem*, tamen cum absolutè, sine conditione diminvente vel alienante & quidem substantivè adhibetur, perpetuò & ubiq; verum & omnipotentem DEUM designat, cujus videl. solius est omne robur & fortitudo; ita רצפ, *petra*, res durare idonea, constans & firma per excellentiam DEUS vocatur. Hanc petræ appellationem ad nomen admirabile Tetragrammatum proximè accedere probat Casaubonus dicto loco his verbis: *Deniq; petra cum metaphoricè de DEO dicitur, habito respectu ad naturam & proprietatem veræ rupis, aut saxi alicujus durissimi, ad significationem nominis Tetragrammati proximè accedit: quod nomen, æternum & perpetuum DEI esse quum designet; רצפ sive petra, durationem notat, quæ est continuatio יס' עוֹלָם, hoc est, essentiæ, & causam existendi in creaturas collatam.*

Uni

Uni DEO proprium, & verè esse, & semper esse, sine princi-
 pio & fine; & dare alijs, ut sint: res creata non nisi vi
 creatoris subsistunt, & tamdiu subsistunt, quamdiu illi pla-
 cet. ut igitur propter veram essentiam DEUS dicitur
 יהוה *ó avn nçj ó nv*, hoc est, is qui est, & is qui erat: Ita
 propter perpetuam subsistentiam appellatur Petra: Idq; a-
 pud Hebraeos unum est e nominibus DEI. Hæc ille. Unde
 etiam ab interpretibus Sacrorum Librorum Græcis &
 Latinis persæpe vox צור *nō* *petra*, aut *rupes*, vel *fortitu-*
do, sed *DEUS* vertitur. Ex. gr. Deut. XXXII. 4. Opus *צור*
perfectum est. Vulgata; DEI perfecta sunt opera v. 15.
Incrassatus est dilectus & recalcitravit; incrassatus, im-
pinguatus, dilatatus, dereliquit DEUM factorem suum & re-
cessit à צור (Pagninus, despexit DEUM) *salutis sue*. Vulgata:
recessit à DEO salutari suo. v. 31. Nam petra eorum non
est, ut petra nostra. Vulgata: Non enim est DEUS no-
 ster, ut dii eorum, & sapius in eodem capite. II. Sa-
 muel. XXII. 32. *Quis enim DEUS præter Dominum, aut*
quis est petra præter DEUM nostrum. Vulgata; *Quis est*
DEUS præter Dominum & quis DEUS fortis, præter
DEUM nostrum. Psal. XVIII. 32. *Quis צור* (vulgata)
quis DEUS præter DEUM nostrum. Psal. XXXI. 3. *Sis mi-*
hi rupes firma, (petra fortitudinis) domus munita. Vul-
 gata; *Esto mihi in DEUM protectorem & domum re-*
fugii. Psal. LXXIII. 25. *Petra cordis mei & portio mea*
DEUS. LXX. *ó θεός τῆς καρδίας μου*. Vulgata, *DEUS cor-*
dis mei & pars mea DEUS in æternum. Et multis alijs in
 locis. Est itaq; DEUS petra salutis nostræ, fortitudo no-
 stra, arx nostra & quasi ἀρόpolis, præsidium, propu-
 gnaculum & refugium nostrum firmum, rupes robu-
 sta & locus munitissimus, ad quem verâ fide confuge-



re possumus & in quo adversum omnes injurias tuti consistimus. Hinc meritò inquit Esaias cap. XXVI. 4. *Sperate in Dominum in sempiternum, in Dominum Deum, qui est, צור עלמים* *petra seculorum*, h. e. interprete Cornel. à Lapide, *constantia, firmitas & robur perpetuum, quod nunquam finem inveniet, ut meritò in eum spes vestras defigere possitis, scientes eas nunquam per omnem aeternitatem frustratum iri.*

V. Vidimus DEUM trinunum absolutè *Petra* nomine in scripturis repræsentari, nunc secundam DEI tatis personam, Filium nempe DEI in specie à Prophetis & Apostolis petram & lapidem appellari, ostendendum est. Salvator ipse id nominis sibi ut proprium vendicat Matth. XVI. 18. *Tu es Petrus & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non preva- lebunt adversus eam.* Baronius, Bellarminus, aliiq; Omnipotentia Pontificia assertores Apostolum Petrum, *petra* nomine hoc loco à Christo vocari, illumque à Christo constitutum esse Ecclesie suæ petram, lapidem primarium, fundamentum, principem & Monarcham, acriter contendunt, ut inde R. Pontificis Monarchiam fulciant. Ubi quidem non imus inficias Patrum nonnullos *per petram* hoc loco *Petrum* intelligere, verum illos de Petri monarchiâ, metaphorâ hac ipsi promissâ, quicquam cogitasse negamus, quod solidè contra Baronium demonstrat Casaubonus Exercit. XV. num. 14. Petram dixerunt Petrum Patres aliqui non ad designandum aliquem principatum aut monarchiam (Non enim Petra symbolum dominationis est, ne in Christo quidem,) sed partim ob *soliditatem devotionis*, partim *quia articulus fidei, quem ipse confessione sua*

suâ est complexus, omnium fidei articulorum primus, principium fidei & universa religionis Christiane fundamentum est, partim deniq; quia primus in nationibus fidei fundamenta posuit, ut loquitur Ambrosius de sanctis per annum serm. II. Multò tamen rectius alii, appellatione Petræ in verbis Domini intelligunt vel Petri fidem, aut ἐξομολόγησιν i. e. confessionem fidei à Petro editam (Tu es Christus filius DEI vivi) ut Chrysostomus & Theophylactus in h. l. Nazianzenus de compositâ differendi ratione. Augustinus in Epist. I. Johan. tract. 10. Basilus Seleucensis Sermone in hanc Matth. pericopam, vel ipsum Christum, nempe quem Petrus confessus est, quomodo vocem PETRÆ isto loco esse accipiendam accuratè & copiosè docet Augustinus pluribus locis, ut in Johan. tract. 124. de Trinit. lib. 2. cap. 17. De Verbis Domini secundum Matth. serm. 13. & cum eo patres plurimi. Peæclarè ait idem augustissimus Ecclesiæ doctor Retractat. lib. I. cap. 21. Non dictum est Petro, Tu es Petra; sed, Tu es Petrus: Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Basilus tractat. de pœnit. pag. 244. Licet Petrus suo modo petra dici possit, (quatenus videl. omnes fideles lapides vivi dicuntur) Christus tamen est illa immobilis petra, quæ concuti nequit. Beda in homiliis; Super hanc petram, hoc est, super DEUM Salvatorem, qui fidelè suo cognitori, amatori, Confessori participium sui nominis donavit, ut videl. à petra Petrus vocaretur. Sed instar omnium Patrum Paulus est, interpres verborum Christi omni exceptione major, qui inquit I. Corinth. III. 2. Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Rectè Casaubonus

bonus toties allegatus Exercit. XIII. num. 16. *Si Simon est Petra, quomodo Christus est Petra, & si primum Ecclesie fundamentum, ut non semel affirmat Baronius, Petrus censeretur debet, habemus, ut duas Petras, sic duos Christos, quæ manifesta est blasphemia &c.* Vide in rem hanc plura in Harmonia Evangel. B. Chemnitii cap. LXXV. p. 929. In Quæstion. Evangel. Pelargi in h. l. in primis apud jam dictum Casaubonum Exercit. XIII. num. 15. 16. 17. 18. & Exercit. XV. num. 12. 13. 14. 15. 16.

VI. Apostolus Paulus disertè Christum petram appellat I. Cor. X. 4. uti inquit, *Bibebant (Israelitæ) de spirituali, quæ illos comitabatur, petra: Petra autem erat Christus* i. e. Christus erat *πέτρα πνευματική* significata per petram materialem in deserto, è quâ profuebat aqua miraculosa. Exod. XVII. 6. Quando enim Paulus hoc loco ait; *petra erat Christus*, non loquitur de petrâ corporali, quæ immobilis perstitit in deserto, sed de petrâ concomitante (*ἀκολουθία*) Israelitas & hanc vocat verè Christum. Nam Christus populum Israeliticum per desertum euntem comitabatur & ab omnibus periculis immunè præstabat. Hic est ille comes, adiutor, ductor, servator & vindex Israelitarum, de quo Exod. XXIII. 20. 21. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te & custodiat in viâ & introducat in locum, quem preparavi. Observa eum & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, neque enim (impune) feret prævaricationes vestras, & est nomen meum in illo, hoc est, inquit Tremellius, JEHOVAH est, & non creatus angelus. Rom. IX. 33. & I. Petr. II. 8. Salvator ob profundissimæ Exinanitionis admirabilem Oeconomiam respectu incredulorum dicitur λίθος προσκόμματος καὶ πέτρα σκανδά-*

28, *Lapis offensionis & petra scandali*, quæ verba desumpta sunt ex Esaia cap. VIII. v. 14. Idem appellatur *Lapis probationis*, sive probatus, *angularis*, confer Eph. II. 20. seq. *pretiosus & rarus*, confer Esa. LIV. II. *fundatio fundationis*, sive (ut exponam Hebraismum) *fundatio fundatissima*, Es. XXVIII. 16. I. Petr. II. 6. *Lapis, quem reprobarunt ædificantes* Psalm. CXVIII. 22. Matth. XXI. 42. I. Petr. II. 7. *Lapis de monte excisus sine manibus* Daniel. II. 34. *Lapis in quo sunt septem oculi* Zach. III. 9. i. e. absolutissima providentia vel charismatum Spiritus S. perfectio. *Lapis vivus*, I. Petr. II. 4. *viva scil. & fundamentalis petra*, super quam spiritualis Israelis sive Ecclesiæ ædificium extructum est Ephes. II. 20. 21.

VII. Foramina hujus Petræ, quorum mentio fit Cantic. II. 13. sunt sanctissima Christi vulnera. Rectè venerabilis Beda in h. l. *Si juxta expositionem Pauli Petra erat Christus, quæ sunt foramina petra, nisi vulnera, quæ pro nostra salute suscepit Christus.* Cassiodorus in eund. loc. *In his foraminibus sponsa moratur, quia totam spem suæ salutis in passione sui redemptoris constituit. Ibi ab insidijs malignorum Spirituum q. à raptu accipitris securæ delitescit.* Huc respicit etiam Bernhardus serm. 61. in Cantic. *Ego fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordiam affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant.* *Foderunt manus ejus & pedes, latusq. lancea perforarunt, per has rimas licet mihi sugere mel de petrâ, oleumq. de saxo durissimo i. e. gustare & videre, quàm suavissimus sit Dominus.*

VIII. Tribuitur autem metaphorica *petra* appellatio in Scripturis & à Sanctis patribus Domino nostro

G

Jesu

Jesu Christo, duabus potissimum de causis. I. quia DEUS est, idem essentiâ cum Patre & Spiritu S: Inest rupibus & saxis, ut statum suum & naturam immutabiliter conservent. Hinc Gregorius Nyssenus in libro de perfectione, exponens Christi nomina, Peträ appellatione ait significari τὸ πάγιον, καὶ ἀμετέθετον, καὶ σερρόν, naturam fixam, immutabilem & firmam. Dicitur itaq; Salvator ΡΧ sive petra, quia est DEUS permanens in secula Dan. VI. 26. perpetuò durans & immutabiliter existens. Ps. CII. 26. *In initio tu Domine terram fundasti & opera manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascunt, verum tu idem es perpetuò & anni tui non finiuntur*, quod ad Christum accommodat Epistola ad Hebræos cap. I. 10. 11. 12. II. quia præstat Ecclesiæ suæ, utpote *edificio DEI* I. Cor. III. 9. Ephes. II. 21. & *domui spirituali* I. Petr. II. 5. solidum & immotum fundamentum, ut petra firmissima, ipsiq; dat τὸ εἶναι καὶ μένειν ἀσάλευτον, h. e. esse & durare stabile. Et hoc est quod ipse dicit Matth. XVI. 18. *Super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt ei.* Est itaq; inconcussæ firmitudinis & æternæ durationis opus Ecclesia, quippe quæ fundamento nititur petra Christo. Hinc rectè Eusebius Præparationis Evangelicæ libro primo ait, *Ecclesiam stare & manere immotam, quia Christus pronuntiavit eam stare & radicatum esse super immotâ petrâ, virtute suâ.* Ad petrâ patet fugatis & exulibus refugiū sic Christus est refugiū firmū fide ad ipsum recurrentibus. Quod si hostes ingruunt, *ille velut pelagi rupes immota resistit*, sicut est apud Poëtam de Latino. Meritò exclamat Bernardus serm. 61. in Cantic. *Quid nō boni in petra hac? In*
petra

EXPLICAT. VERB. ULT. DAV. II. SAM. XXIII. I. & seqq. 51.

petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Securus ab hoste, securus à casu. Et paulò post; Fremet mundus, premit corpus, Diabolus insidiatur, non cado, fundatus enim sum super petram firmam. Sunt & aliæ appellationis hujus rationes, scil. Quemadmodum Petra illa in deserto Mosis baculo percussa largissimas fudit aquas, quibus Israëlita sitim suam restinxerunt, Num. XX. II. Sic Christus in cruce à DEO percussus propter peccata nostra effudit sanguinem, quo sitis animarum nostrarum restinguitur, Similitudinem hanc proponit Bellarminus Conc. XXXIX. de S. Laurentio his verbis; Stabat, inquit, aliquando Moses coram silice, & virgam in manu tenebat, & populis sitientibus petram percutere non audebat, sed agebat: Num ex petrà hac vobis aquam poterimus elicere? Num. XX. IO. Percussit tamen virga silicem, & ecce largissima aqua profluxerunt. Ita plane, auditores, apparuit quondam in Sion lapis magnus, lapis angularis, lapis offensionis & petra scandali: populus sitiebat, & lapis clamabat; Si quis sitit, veniat ad me, & bibat Job. VII. 37. Verum Mosaici sacerdotes & scribae & Pharisei impingebant in eum & dicebant; Non est hic homo à DEO qui Sabbathum non custodit. Scimus, quia hic homo peccator est. Joh. IX. 16. 24. Nathanael quoque dicebat. A Nazareth potest aliquid boni esse? Joh. I. 46. Sed percutite Judæe petram, feri silicem rebellis & incredula. Percutit Judæus lapidem, clavos figit, petrus fodit, & ecce scaturiunt fontes charismatum, pluunt imbres sacramentorum, currunt flumina sanguinis pretiosi, quæ peccatorum maculas abluunt, virtutum plantas irrigant, & sitim terrenæ cupiditatis extinguunt. Hæc ille. Plures rationes, cur Christus dicatur Petra, vide apud



B. Gerhardum Comment. in prior. Epistol. Petr. cap. II. v. 6. & Cardinalem Cusanum, Excitationum libri II. initio.

IX. Demonstravimus hactenus, quod & quare Salvator noster præcipuè in multis Scripturæ locis petra dicatur; in his ultimis verò verbis Davidis per Petram Israelis eundem determinari colligitur I. ex disertâ à reliquis personis divinis distinctione. Nam ut distincta persona à Spiritu Jehovæ v. 2. & DEO Israelis v. 3. loquens introducitur. II. ex addita descriptione. Dicitur enim מוֹשֵׁל בְּאָדָם צַדִּיק מוֹשֵׁל יְרֵאתָ אֱלֹהִים LXX. Interp. versio: ἀρχων ἐν ἀνθρώποις δίκαιος, ἀρχὴς φόβου θεοῦ. Vulgata: Dominator hominum, justus dominator in timore DEI. Tigurina: Dominator super homines justus sit, dominator (habeat) timorem DEI. Pagnini: Dominator in hominibus, justus sit, dominator cum timore DEI. Ariæ Montani: Dominans in homine, justus dominator timoris DEI. Tremellii; qui dominatur hominibus istis (Israëlitis, ut addit in notis) justus esto, dominans in timore DEI. Lutheri; der gerechte Herrscher / unter den Menschen / der Herrscher in der Furcht Gottes.

X. מוֹשֵׁל notate eum, qui dominatur & cum imperio est, à מוֹשֵׁל quod est dominationem & potestatem publicam habuit, imperavit. Diciturq; plerumq; de dominatione & imperio regali, aut certè præpotentis hominis. Nota, inquit Dn. D. Feurbornius Fascicul. I. Disp. III. p. 202. quod radix מוֹשֵׁל non tam significet communiter, quàm regaliter imperavit seu habuit sublimem ἐξουσίαν, potestatem, auctoritatem, virtutem & potentiam, eamq; exeruit & adhibuit, non tantum in verbis, sed etiam in factis.

Graci

Græci, quos septuaginta interpretes salutamus, quandoq; reddunt per ἀρχεν, ut h. l. & Gen. XLV. 8. Judic. VIII. 22. Mich. V. 2. modò per κυριεύειν. ut Gen. III. 16. interdum per δεσπόζειν, ut Psalm. XXII. 29. aliquando per ἐξουσιάζειν, ut II. Paral. XX. 6. Nehem. IX. 37. Chaldaicæ paraphrases sæpè regnandi verbo transferunt. Tribuitur quoq; hoc verbum sermoni, & significat quasi κυριαν γνώμην *dominantem sententiam*, celebre & authenticum quoddam dictum proferre, ut sunt adagia, apophthegmata, proverbia, similitudines &c. quæ habent autoritatem & dominium præ cæteris, sive quæ prædominantur atq; præpollent vulgari modo loqvendi.

XI. Nomen hebræum אֲדָמָה primi hominum parentis, qui totam illam humanæ gentis tragœdium invexit, proprium & individuale fuit. Sed & sæpè specificum est & appellativum & ideò utriq; sexui commune. In Levitico non solum Eva sed & quævis mulier alia frequentissimè vocatur אֲדָמָה. Interdum cum præfixo הֵמָּנָה Emphatico peculiariter notat Messiam ut Esa. II. 22. & alibi. Hoc loco appellativè accipiendum esse, res ipsa docet. Cæterum, quod obiter observandum, tria habent Hebræi vocabula, quibus hominem designant; אֲדָמָה אֲדָמָה אֲדָמָה, & אֲדָמָה propriè hominem fragilem, infirmum, omnibus miseriarum telis expositum significat, אֲדָמָה hominem vilem, abjectum, plebejum. אֲדָמָה virum vel hominem præstantem.

XII. Franciscus Vatablus itemq; Estius in annotationibus ad h. l. verba hæc, *Dominator inter homines &c. Davidi regi accommodant; quasi prædixerit*

*DEus Davidi, priusquam esset Rex constitutus, se fore do-
 minatorem & regem hominum justum & timentem Deum.
 Verum violenta est verborum Davidis detorsio ac de-
 pravatio, quando hæc de regno ac Dominio Davidis
 temporali accipiuntur, ut supra quoque disput. I. th. 7.
 insinuatum est, Rejicienda est, (graviter monet B. Lu-
 therus Comment. in hæc ultima verba Davidis Tō. III.
 Witteberg. Latin. fol. 113.) *futilis & nihili Rabbiorum in-
 terpretatio, & eorum, qui illos sequuntur, qui hoc à Davi-
 de de seipso dici putant, videlicet regnum seu dominationem
 ejus justam fore, & eam administraturum esse in timore
 DEI, quia ipse à DEO sit constitutus Rex & gubernator. Lon-
 gè alius hic promittitur Dominator justus, & in timore
 DEI, &c. Constituimus itaque; L. de nullo alio, quam æ-
 terno & justissimo Dominatore, DEO Optimo Maximo
 hic sermonem esse, II. Secundam SS. Trinitatis perso-
 nam æterni Patris æternum filium, qui consti-
 tuto divinitus tempore carnem assumpsit, hoc loco
 per מֶלֶךְ בְּאֵרֶם, *dominatorem hominum* intelligi. Hinc
 rectè Chaldaica paraphrasis: *Dixit, quod constituerit
 mihi regem, ipse est Messias, qui futurus est, ut surgat & do-
 minetur in timore DEI.* Et notanter ait loc. cit. Luthe-
 rus; *Quoties legis hoc vocabulum (מֶלֶךְ) ipsi DEO tri-
 bui, tuto & rectè intelligis dici de Jesu Christo, filio DEI.*
 Sic Micheas Propheta claris & tanquam ex hoc ipso
 nostro loco (quod ibidem affirmat Lutherus) desum-
 ptis verbis, de Christo nascituro ex Bethlehem dicit
 cap. V. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata, parvula es in millibus
 Juda, ex te mihi exhibit, qui sit מֶלֶךְ בְּיִשְׂרָאֵל Dominator
 in Israele, cujus egressiones inde à principio, à diebus æ-
 ternitatis.* Judæi apud Lyranum per hunc *dominato-*
regem**

rem intelligunt Ezechiam, alii de Zorobabele hoc Prophe-
 phetæ vaticinium interpretati sunt, ut refert Chryso-
 stomus homil. 7. in Matthæum & Theodoretus com-
 ment. in Mich. sed de neutro accipi ullo modo potest.
 Nam I. Ezechias rex in regiâ urbe Jerusalem, Zoraba-
 bel verò Babylone natus est, non in Bethlehem. II. E-
 gressiones ab initio & diebus æternitatis nec Ezechia
 nec Zorobabeli conveniunt. Sanè, Jonathan Chal-
 dæus, qvî circa nati Christi tempora vixit, disertè hoc
 Oraculum de Messiâ exponit, Paraphrasis ejus ita ha-
 bet: *Et tu Bethlehem Ephrata, qvoddammodo minor fuisti,*
qvàm ut numerareris inter chiliadas domus Juda: ex te
coram me prodibit MESSIAS, ut sit exercens imperium super
Israel, cujus nomen dictum à principio, à diebus seculi. De
 Messiâ intelligendum esse etiam principes Sacerdo-
 tum & Scribæ populi sciverunt, consulti enim ab He-
 rode de loco nativitatis Christi opportunè Prophe-
 tam allegant Matth. II. 6. Nec dissentiunt recentio-
 rum Judæorum præcipui. Rab. Salomon Jarchius, Rab-
 binorum sui temporis antesignanus Prophe-
 tæ verba ita interpretatur, ut nostro textui, qvem jam exponi-
 mus, ferè congruant. *Ex te, inquit, egredietur mihi*
Messias, filius David, sicut ipse dictus lapis, qvem reprobave-
runt adificantes. En lapidem appellat hunc מוֹשֵׁה, qvem
reprobaverunt adificantes ex Psal. CXVII. 22. qvem pe-
tram Israël salutavit David in suis novissimis. Rab. Da-
 vid Kimchi de Messiâ quoq; vaticinium hoc accipit,
 qvamvis non sine depravationibus.

XIII. Sunt & alia loca plurima, in qvibus Messias
 Dominatoris titulo honoratur, qvorum haud postre-
 mus est Jeremia XXX. 21. *Et erit dux ejus ex eo, & do-*
 minator

de-
um.
de-
idis
n.7.
Lu-
III.
in-
vi-
em
ore
on-
ore
æ-
mo
fo-
sti-
co
nc
rit
do-
ne-
ri-
EI.
so
m-
cit
us
a-
e-
to-
m



minator de medio ejus egredietur. De Messia loquitur, inquit hic rectè Vatablus in annotationibus, qui secundum carnem erat de genere Israel. Eodem modo exponunt Estius, Eman. Sa, Menochius, Tirinus & alij, imò omnes Hebræi, Græci, Latini & Chaldaei, ut ait jam dictus Tirinus Comment, in h. l. Danielis IX. 25. vocatur *princeps*. Alibi verò ut Jer. XXIII. 5. Rex. Rex justus & mansuetus, Zach. IX. 9. βασιλεύς τῶν ἰσραήλων. Matth. II. 2. Præclarè Nathanael Joh. I. 50. *Tu es filius DEI, tu es rex Israel.* βασιλεύς ἀπάτωρ ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων. Heb. VII. 3. ἀρχῶν τῶν βασιλείων τῆς γῆς. Apocal. I. 5. κύριος κυρίων καὶ βασιλεύς βασιλείων. Apocal. XVII. 14. cap. XIX. 16. 1. Tim. VI. 15.

XIV. Porro *justus dominator* Messias à Davide appellatur, I. ob justitiam sanctissimâ suâ obedientiâ, passione ac morte acquisitam & per fidem nobis creditibus applicatam, ob quam rationem *Rex justus* Zach. IX. 9. *Rex justitiae* Hebr. VII. 2. *Germen justum*, Jer. XXIII. 5. *Jehova justitia nostræ*, 6. δικαιός, *justus* καὶ ἐξοχήν Rom. V. 19. *factus nobis justitia* I. Cor. I. 30. dicitur. II. ob justitiæ, si ita loqui fas est, distributiæ exercitium, quo piis & creditibus ex merâ gratiâ vitæ æternæ præmia largitur, incredulos verò atq; præfractè impios justè punit & condemnat. Sic enim Esaias cap. XI. (quod caput totum, ut ait Hieronymus, de Messia, tam Christiani, quàm Circumcisio loqui fatentur) v. 4. 5. *Et judicabit in justitia tenues, & corripet in æquitate mansuetos terræ, & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Erit quæ justitia cingulum lumborum ipsius & fides cingulum renum*

renum ipsius Jer. XXIII. 5. Excitabo Davidi germen justum, & regnabit rex, & faciet iudicium & justitiam in terrâ. Conf. II. Thessal. I. 6.7.8.

XV. Additur demum *in timore DEI*. Hæc verba vel respiciunt ipsum Dominatorem hominum justum ut causam efficientem, uti exponit B. Lutherus loco allegato inqviens; In Hebræo textu hæc verba coherent; *petra Israel, justus Dominator, seu justè Dominus inter homines & dominator efficiens timorem DEI*. Et postea, ut probet per Dominatorem hunc non intelligi Davidem, inquit; Longè alius hic promittitur dominator justus & in timore DEI. Nam David suâ gubernatione unum quidem hominem justum & timentem DEI reddidit, imò ne se quidem ipsum, ac ne Moses quidem ipse, legis & politia constitutor, ut & Rom. 3. confirmat Paulus. Sed quicumq; unquam fuerunt justî, timentes DEUM, ÿ per hunc Dominum, seu Dominatorem Jesum Christum, Messiam seu petram Israelis justificati & ad verum timorem DEI perducti sunt. Vel sunt nota *subjecti dominationis*, ut sensus sit; Quamquam Messias dominator omnium sit maximè tamen esse illorum Dominum, qui DEUM timent. Hos enim tam providè, benignè & clementer regit & gubernat ac præsidio suo tuetur, ut horum quasi solorum curam, neglectis ferè alijs, gerere videatur, ut explicant Casparus Sanctius, Cornelius à Lapide, & Jacobus Tirinus in h. l. juxta hanc interpretationem duplex Christi describitur regnum; *potentia*, quod in dominio super omnes homines, & *gratia*, quod in dominio super fideles & timentes DEUM consistit.

XVI. Observetur I. *Dominium hoc Salvatorem nostrum ab aeterno habuisse, secundum naturam divinam, & in tem-*

H

pore



pore idipsum à Patre adeptum esse juxta naturam huma-
nam. De priori constat. Uti enim Christus æterni Patris
consubstantialis est filius, ita quoque unus & idem Do-
minus est cum eo, juxta Symbolum Athanasianum; Dominus Pater, Dominus filius, Dominus Spiritus S. Et ta-
men non tres Domini, sed unus est Dominus. De posteriori
loquitur Psalmus VIII. v. 5. seqq. Quid est homo, quod
memor es ejus? aut filius hominis, quod visitas eum? Et fe-
cisti eum paulisper deficere מַלְאָכָה à Diis (σὰρ' ἀγγέ-
λῃς vertunt LXX. Interpretes, quos sequutus est Pau-
lus in Epistolâ ad Hebræos cap. II. 7.) sed gloria & ho-
nore coronasti תְּשִׁילֶהוּ Dominari facies eum super opera
manuum tuarum. Dominari faciet. Quis? Deus pater.
Quem? Jesum Christum. Secundū quā naturam? Non di-
vinā, sed humanam; utpote secundumquam fuerat pri-
mò humiliatus, & infra angelos depressus. Quando sic
eum dominari facturus fuit? Non ante sed post elap-
sam humiliationis antegressæ statum, non quoad do-
minii divini κτῆσιω & particularem χρῆσιω, sic enim
ante erat etiam ut homo Dominus & Dominator in
ipso κενώσεως statu, sed quoad ejusdem plenariam usur-
pationem, ut rectè exponit Dn. D. Feurbornius Σκια-
γραφίας Theol. dissert. III. th. 23. & 24. Hinc Petrus Act.
II. 36. asserit; DEū Patrem Jesum filium suum, quem Ju-
dæi crucifixerunt, fecisse Dominum & Christū, quod de
Christo secundū carnem intelligendum esse ex Atha-
nasio (qui copiosè docet, Petrum δὲ τὴν ἑσῖαν τῶ λόγῳ, ἀλ-
λά τὸν ἄνθρωπον respexisse,) Basilio, Gregorio Nazianze-
no, Cyrillo Alexandrino (qui dicit, Christum ut homi-
nem in potestatem dominandi simul adscendisse.) Epipha-
nio (qui dicit, τὸ ἐκ Μαρίας συλληφθέν, τὸ ἐν Θεότητι συ-
νενωθέν, quod ex Mariâ conceptum est, & DEitati commu-
tunt

tum esse Dominum factum) Theodoro Raythi Presbytero, Gregorio Nysseno, (*quid dicit, καὶ τὸ σῶμα κύριος λέγεται*) Theodoreto, Theophylacto, Tertulliano, Ambrosio, Beda, atq; ex ipsis Pontificijs, Lorino, Cornelio à Lapide, Bellarmino, alijs, imò & Calvinianis, Contr. Pelicano, Calvino, Beza, Marlorato probat Dn. D. Dorscheus in Pentadecad. diss. Acad. diss. XV. th. 3. Quando verò Petrus innuit, DEUM tunc Jesum fecisse Dominum ac Christum, cum ex mortuis resurrexit, & in cœlos adscendit, id *partim* & *secundariò*, *de declaratione* hujus mysterij accipiendum est, vide Rom. 1.3. quomodo Cyrillus Alexandrinus lib. 9. Thesauri cap. 3. illud *fecit per declaravit* exponit, inqviens; *Tunc credentium propriè factum esse Dominum, quando suo sanguine omnibus redemptis Christus dominus declaratus est.* Nō tamen de nudâ declaratione aut manifestatione sed & reali exaltatione verba Apostoli Cyrillum intelligere ex præcedentibus patet. *Partim* & *primariò de plenario dominij illius in naturâ humanâ exercitio*, quod Christus post resurrectionem ex mortuis & ascensionem ad cœlos demum exerere cœpit & plenissimè in extremo die exeret, ut ex Phil. II. 9. 10. 11. Heb. II. 7. 8. I. Cor. XV. 24. 25. 26. 27. liquet. Accepit itaq; Christus ut homo dominium illud in ipsâ statim Unione primùm quoad *κτῆσιν* seu possessionem, ubi *πάν τὸ πλῆρωμα τῆς θεότητος* in assumptâ carne personaliter habitare cœpit Coloss. II. 9. & deinde quoad plenariam & gloriosam usurpationem per exaltationem in thronum immensæ & omnidominæ gloriæ.

XVII. Non tamen propterea Christus dicendus est Dominus duplex, scil. *αὐτοκύριος*, ein selb Herr /



secundū divinitatē, & κύριος· πτω οὐρανῶν·, Dominus factus seu factitius, ein gemachter Herr und Regent/ secundum humanitatē. Uti n. Christus ita verus DEUS est & verus homo, ut sit una persona, non plures, ita etiam unus Dominus est, non duplex, quamvis dominium, illud suum respectu unius naturæ ab æterno habeat, respectu verò alterius in tempore acceperit. Et sicut Christus secundum divinam naturam ex Patre ante secula genitus est, & secundum humanam naturam ex Mariâ semper virgine in tempore natus, nec tamen propterea duplex est Filius sed unus, idemque DEI & Mariæ filius: ita nec propterea, quod aliter ei competit rerum omnium dominium, ut DEO, aliter ut homini, duplex Dominus appellari potest aut debet. Nam unus est Dominus, Jesus Christus, per quem omnia & nos per ipsum. I. Cor. VIII. 6. Unus Dominus, una fides, unum baptisma Eph. IV. 5. Et licet aliud esse videtur, Christū dicere Dominū & Dominatorem factum seu factitiū simpliciter, ut Ariani & Photiniani impiè contendunt, & aliud eundem talem dicere, quatenus homo est, seu secundum humanitatem, ut eum simul DEUM æternum & minimè factum ratione divinitatis esse fatearis, attamen, quia ita S. Scriptura asserit, quod DEUS JESUM, DOMINUM & CHRISTUM fecerit, ut tamen ipsum etiam quatenus homo est, non Dominum factum seu factitium, sed Dominum de cælo appellet sicut scriptum est I. Cor. XV. 47. Primus homo de terrâ terrenus, secundus homo, ὁ κύριος ἐξ οὐρανόων, ab hac potius loquendi ratione abstinemus, ne CHRISTUM naturalem & æternum Dominum esse negare, vel plures Dominos cum Nestorio introducere velle videamur.

XVIII. Observetur II. *Dominium hoc Christi* *θεω-
 πωτος non esse mundanum & corporale, sed caeleste & spiri-
 tuale.* R. David Kimchi inter recentiores Judæorum
 Magistros minimè minimus ad loc. supra allegat.
 Mich. V. 2. objicit nobis Christianis, quod *Messias no-
 ster non dominatus fuerit Israëlitis, sed Israelita potius ipsi,*
 כִּי הוּא אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֲבָל הוּא מֶשֶׁךְ בּוֹ scil.
 ipsum persequendo, & in crucem agendo. Sed respon-
 demus I. *Concedendo,* Christum humano imperio aut
 mundano dominio de facto ita nunquam gubernasse
 populum Israeliticum. Regimen enim ipsius non ter-
 rena ac mundana sapit sceptrum, sed divina & spiritualia
 vide Psal. CX. 4. h. e. Fungitur officio Regio, titulo
 & jure Domini spiritualis in Ecclesiam, ad ejusdem æ-
 dificationem & tutelam ac tandem glorificationem
 æternam. Et hoc est, quod Christus ipse fatetur, Johan.
 XVIII. 36. *Regnum meum,* inquam, *οὐκ ἐστὶν ἐν τῷ κόσμῳ &
 οὐκ ἐστὶν ὁ κόσμος τῶν τούτων, non est hinc & de hoc mundo.* Ex mundo
 sive de mundo regnum suum esse negat, quemadmo-
 dum etiam pios, hoc est morigeros regni sui cives &
 subditos negat esse *οὐκ ἐστὶν ὁ κόσμος* Joh. XV. 19. *Quamvis*
enim regnum Christi sit in mundo, quia regnum gratie in
his terris administratur, & Ecclesia ex genere huma-
no colligitur, tamen non est ex mundo vel de mundo,
quia non habet proprietates regni terreni, nec administra-
tur more hujus seculi. Uterudite observat B. Gerhar-
 dus, avunculus meus desideratissimus in continuat.
 Harmon. Evangel. cap. CXCI. p. 1870. in h. l. II. *distin-*
guendo inter Israelitas carnales sive qui secundum car-
nem ex Jacobo Patriarcha sunt prognati & Israelitas
spirituales, sive filios Israel secundum spiritum, qui sc.



fidem illius imitantur. Nam, quemadmodum Jacob *Israel* dictus, in cultu divino fuit sincerus, DEI amantissimus, ad cuius mandata vitam omnem instituit, sic *Israelitæ* & *Israel* dicuntur ejus vestigia sequentes, pii & fideles, licet ex Jacobo non omnes sint oriundi. Hoc discrimen ipsa Scriptura facit Johann. I. 48. Rom. IX. 6. Gal. VI. 16. De his cum primis non illis loquitur vaticinium Micheæ. Hi enim sunt proprius hujus Domini dominantis populus, Exod. XIX. 5. 6. Tit. II. 14. Hos amicè, gratiosè & salubriter gubernat, ποιμαίνει (quâ voce in allegatione hujus oraculi utitur Evangelista Matth. cap. II. 6. ad designandum mansuetum & comæ Messia imperium, benevolentia & adfectus erga subditos plenum) pascit & defendit, velut verus pastor suas oves, confer Ezech. XXXIV. 23. & c. XXXVII. 24. Dominatur Messias omnibus hominibus ut jã jam dicitur, sed peculiariter dominatur fœderatis suis, sanguine suo purpuratis, qui promissionẽ Abrahamæ factã verã fide apprehendunt, hiq; sunt subditi ejus in regno gratia. Duplici itaq; æquivocatione decipiuntur Judæi, quarum prima est in voce *Dominii*, altera in voce *Israel*, ut eruditè observat B. D. Jacob. Martini de Trib. Elohim lib. III. cap. 30.

XIX. Observetur III. *Dominium Christi* Θεανθρωπίνον esse amplissimum. Dominatur enim divino & incomprehensibili dominio super omnes homines & in universum super omnes creaturas in omnibus locis non solum ut DEUS sed etiam ut homo, in regno potentia. Psal. LXXII. (quem de Christo loqui contra Judæos & judaizantes Calvinianos certis argumentis probat Dn.

D. Feur-

D. Feurbornius Fascicul. I. disput. 3. p. 207. seqq. confer
 Dn. D. Dorschei Synops. Theol. Zachar. parte 1. cap.
 V. §. 50. & Pentadec. Diff. Acad. Disp. III. §. 43.) v. 8.
 dicitur; *Et dominabitur* (deducet authoritatem &
 imperium suum) *à mari usq; ad mare & à flumine usq;*
ad terminos terra. Cum Davide consentit Zacharias
 cap. IX. 10. inqviens, *Potestas ejus* (dominium regium
 divinum) *erit à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad*
fines terra. Nota I. sermonem hîc itidem de Christo
 esse, clarissimo interprete Matth. cap. XXI. 5. II. descri-
 bi his verbis non eum tantum dominatum, qvi Israeli-
 ticæ genti promissus est, ut vult in h. l. commentans
 Christophor. à Castro Jesuita, sed dominatum Orbis
 terrarum absolutum h. e. regnum potentia & domi-
 nium illud catholicum Messia, immediatè in hæc sub-
 lunaria, quæ orbis terrarum ambitu comprehendun-
 tur; consequenter verò in totam universitatem crea-
 turarum secundum stilum Scripturæ Psal. LIX. 14. &
 XCV. 3. 4. 5. confer Psal. VIII. 7. 8. I. Cor. XV. 27. Est
 itaq; Christus πάντων κυρίῳ Act. X. 38. πάντων scil. κτισῶν,
 quæ ab ipso sunt distincta. Rectè Damascenus lib.
 III. Orthod. fidei cap. 21. p. 261. *Nos dominatorem i-*
psum dicimus & Dominum omnis creatura, unum Chri-
stum, eundemq; DEum simul ac hominem & omnia scien-
tem. Imò & gratiosum suum dominium, sive regnū
 gratia suæ extendit Messias in universum terrarum
 orbem habitabilem. Nam sceptrum Evangelicæ po-
 tentia è Zione emittens Psal. CX. 3. longè lateq; per u-
 niversum mundū dominio admirabili derivavit. Vi-
 de Esa. II. 2. Haggai II. 7. 8. 9. Luc. XXIV. 46. 47. Actor. I.
 8. Rō,

8. Rō. X. 18. Col. I. 6. 23. Hinc rectè Irenæus Apostolorum tempori vicinus lib. I. cap. 2. inquit ; *Ecclesia per universum orbem , usq; ad fines terræ seminata est.*

XX. Observetur IV. *Dominium Christi Θεουδεωνε esse infinitum, interminabile & perennissimum.* Expendenda hîc imprimis verba Danielis cap. VII. v. 13. & 14. *Videbam , inquit vir ille desideriorū, in visione nocturnâ & ecce veniebat cum nubibus cœli quidā tanquam Filius hominis usq; ad antiquum dierum & in conspectu ejus productus est, is dedit ei potestatem & honorem & regnum, & omnes populi, tribus & lingue serviant ei, & potestas ejus sit potestas aterna, quæ non auferetur & regnum ejus erit sine fine.* Nota I. Sermonem hîc esse de infinitâ, interminabili, æternâ, DEIQVE solius propriâ potestate, majestate, & dominatione. II. Hanc infinitam immensam & æternam potestatem ac dominium divinum dari filio hominis, i. e. Christo, & quidem *juxta* assumptam humanam naturam, juxta hanc n. Christus Filius hominis est. Rō. I. 3. c. IX. 5. Juxta hanc quoq; accepit, quidquid in tempore à patre cœlesti accepit, ut habet regula, de datis in tempore. Hinc Cyrillus Alexandr. l. 8. Thesaur. cap. I. inquit ; *Natura humane proprium est, à DEO accipere.* confer. Joh. V. 27. Apocal. V. 12. Michæ IV. 7. dicitur ; *Et disponam claudicantem illam in reliquias, & eam, quæ laboraverat, in gentem robustam, & regnabit JEHOVA (de quo dicent, Justitia nostra Jerem. XXIII. 6.) super eos in monte Sion ex hoc tempore & usq; in seculum.* Luc. I. 33. de Messia dicitur ; *Et regnabit in domo Jacob in æternum & regni ejus non erit finis.* Est itaq;

itaq; interminabile regimen, regimen super spiritua-
lem domum Jacob, regimen filij DEI altissimi, pari-
terq; Mariæ Virginis.

XXI. Observetur deniq; V. *Dominium Christi* *Deav-*
Deω πρ conjunctum esse cum *substantiali presentia*, propin-
qvitae & adessentiâ utriusq; nature, divine & humane a-
pud omnes & singulas creaturas in cælo & in terrâ. Domi-
niū super omnes homines atq; adeò super omnes crea-
turas utpotè merè divinū, præsupponit & includit ma-
jestate plenam omnipræsentiam, quâ DEUS secundū
essentiam suam omnibus imperio ac dominio suo
subjectis sive cœlestibus sive terrestribus adest, præsto
est, & in omnibus liberrimâ voluntate potenter ope-
ratur. *An non DEUS de propinqvo ego, dicit Dominus, & non*
DEUS de longinqvo. Annon cœlum & terram ego impleo, di-
cit Dominus Jer. XXIII. 23. 24. conf. Sap. I. 7. Rectè Bern-
hardus in Cantic. serm. 4. *Non longè ab unoqvoq; est,*
qui est esse omnium, sine quo omnia nihil. Substantialis
itaq; & essentialis divina propinqvitas & adessentia o-
mninò inseparabilis est à divino in creaturas imperio
& regimine. Jam verò hæc ipsa divina magni regiiq; in
omnia dominii majestas Christo ad dextram DEI pa-
tris evecto ut homini data est, adeoq; ipse ad dextram
DEI Patris evectus ut homo omnipræsens est. Argu-
mentamur ita; Qui divinè super omnia dominatur,
is non per modum absentia sed substantialis præsen-
tia super omnia dominatur; Christus ad Dextram
DEI sedens, ut homo divinè super omnia dominatur,
E. Christus ad dextram DEI sedens ut homo non per
modum absentia sed substantialis præsentia super o-
mnia dominatur. Major ex jam dictis constat, mi-



nor fundata est in Psal. VIII. 6. 7. Daniel. VII. 13. 14. &c. Unum est dominium, quo Christus ut DEUS & homo dominatur, non verò multiplex ac diversum. Ergò ut secundum divinitatem non absens, sed præsens dominatur, ita quoque secundum humanitatem præsens omnia administrat.

XXII. Pontificii, Calviniani & cum illis D. G. C. ex mundana dominationis modo divinum Christi hominis dominium æstimantes, contendunt, non esse necessarium ut, ubi est effectus & operatio regis aut dominatoris, ibi quoque præsentia ejusdem sit secundum substantiam, sive, ad præsentiam gubernationis non requiri præsentiam corporis. Ac proinde quemadmodum Rex & princeps mundanus, secundum corporis substantiam in regiâ suâ manens, legibus, mandatis, judiciis, vicariis, officariis totum regnum suum gubernet, & administret; ita quoque Regem Regum & Dominum Dominantium Apocal. XIX. 6. corporis quidem sui substantiâ in cœlo esse, gratiâ verò, virtute & potentiâ in terris dominari. Audiamus Bellarminû, lib. III. de Incarnat. cap. 16. ita philosophantem; *Omni-
nibus, inquit, creaturis Christi humanitas præest, & jus
habet in omnes, ex quo non sequitur, quòd possit, quidquid
DEUS potest, vel quòd sit ubiq; : cur enim non possit jus ha-
bere in rem absentem? nonne apud homines id ordinariè
cernimus, ut Rex in universum suum regnum jus habeat, &
tamen non occupet præsentiâ suâ, nisi exiguum angulum do-
mus, vel cubiculi unius. Consentit Rivetus Cõ. in Ps. CX.
pag. 439. ubi ait; Ex eo, quòd Christus, quâ homo regnat, ubi-
cunq; regnat Pater, h. e. ubiq;, non sequitur, Christum se-
cundum humanitatem esse ubiq;, et si ubiq; regnet. Nam licet
poten-*

potentissimi alicujus regis dominatio sit longè latèq; diffusa,
 non est tamen necesse, ut ubicunq; regnet, diffundatur etiam
 ipsius corpus. Utitur quoq; hoc simili D. Philippus Cæ-
 sar' Calvinista Bremensis in Disput. II. Apologet. de pugna
 inter dogma Omnipresæntiæ corporis Christi & articulum
 de ultimo ejus adventu thes. 87. & 88. Verum enim verò
 gravissimè errant, qui dominium Christi divinum ac
 singularissimū cum terreni & temporalis Regis domi-
 natione conferunt & eandem utrobique rationē esse
 existimant. ἀδυναμίας n., imbecillitatis & imperfectio-
 nis humanæ, quā ne quidē potentissima mundi regna
 expertia sunt, τεκμήριον est, quod Reges terreni non
 possunt omnibus regni sui partibus atq; provinciis
 præsentibus adesse, sed variis vicariorū & officiariorū ad-
 miniculis ad res gerendas diversis in locis opus ha-
 bent, quæ ἀδυναμία, imperfectio & imbecillitas à Chri-
 sto homine ad dextram DEI ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ
 ἐξουσίας καὶ δυνάμεως, καὶ κυριότητι, supra omnem princi-
 patum, & potestatem & virtutem & dominationem con-
 stituto, Eph. I. 21. & divinum, infinitum & intermina-
 bile regnū omnipotenter obtinente longissimè abest,
 atq; ideò de eo non est cogitandum vel pronuntiandū
 juxta morē hujus seculi & regum terrenorum. Ascen-
 dit Christus super omnes cælos, ut omnia impleret Eph. IV.
 10. scil. omnipræsentiissimā majestate & omnipotentis-
 mo dominio, ut patet ex supra adductis locis, Jer.
 XXXIII. 24. Sapient. I. 7. Non est n. effectiva tantum
 & virtualis per effectus & operationes facta πλήρωσις,
 sed talis, quæ præter effectum & operationē includit
 substantialē πληρῶντι adessentiam, quo ipso eviden-
 tissimum & incomparabiliter distans discrimē inter
 regnū Christi & mundana cuncta regna constituitur.



XXIII. Ezechiel. XXXIV. 24. Dicit Jehovah, *Ego Dominus ero eis DEUS, & servus meus David princeps in medio illorum.* De Messiâ sermonē hīc esse apud interpretes Christianos itemq; Hebræos antiquos, teste R. David, (referente Tirino Cō. in h. l.) in confesso est. Vocatur a David cum hoc loco tum Jer. XXX. 9. Ezech. XXXVII. 24. 25. Oseæ III. 5. Amos IX. II. ratione filiationis humanæ, & quia David Christi figura. *Ponitur typus* (inquit Drusus Com. in Hof. loc. cit.) *pro eo, qui per typum significatur. Nam typus Messie erat rex David.* Dicitur insuper DEI Patris sui servus respectu carnis assumptæ & status exinanitionis in carne. De Messiâ itaq; secundū eam naturā, secundū quam fuit DEI Patris servus, sive minister scil. in negotio salutis nostræ promovendo, & est David, seu filius David, i. e. humanam hoc loco affirmatur, quod futurus sit מְשִׁיחַ בְּתוֹכָם, LXX. ἐν μέσσω αὐτῶν ἀρχων, *princeps in medio eorum.* Jam vero quotiescunq; in sacris Literis aliqua persona dicitur in medio alicujus esse, dominari, habitare & c. præprimis includitur corporalis aut substantialis propinquitas & præsentia ibi, ubi dicitur in medio esse, dominari, habitare & c. Sic Exod. III. 2. *Angelus in medio rubi.* Utiq; rubo substantialiter præsens. Josuæ IX. 22. ubi Josua ad Gabaonitas; *Vos in medio nostri sedentes* q. d. vos estis nobis præsentissimi, proximi. I. Sam. X. 10. *Saul prophetavit in medio eorum.* h. e. ipsis præsens. Exod. XXV. 8. inquit Dominus; *Habitabo in medio eorum,* h. e. intimè & substantialiter ipsis præsens ero, confer Exod. II. 22. XVII. 7. Num. XI. 20. XVI. 3. Deut. VI. 15. Psal. XLVI. 5. Vide Dn. D. Dorscheum in Pentadecad. diss. Academ. dissert. XIV. §. 30. 31. Quando igitur h. l. Messia,

fiæ, Davidis filio assignatur dominatus seu principatus in medio spiritualis Israelis, quod est regnum ejus gratiæ, vel etiam in medio inimicorum suorum Ps. CX. 3. quod est regnum ejus potentiæ, tum quoque substantialis & intima ejusdem apud populum suum, & inimicos suos præsentia innuitur, & quidem secundum eam naturam secundum quam est filius David, & ad dextram DEI e- vectus, i. e. humanam. Conf. Matth. XVIII. 20. XXVIII. 18. 19. 20. Non est itaque homo CHRISTUS JESUS Domi- nus aut princeps remotus, sed regit præsentissimè, do- minatur efficacissimè. Nulla a. hinc cogitetur diffusio, expansio aut extensio corporis CHRISTI localis, cujus orthodoxam nostram sententiam tacitè insimulat in supra citatis verbis Rivetus, talis n. crassa & portentosa omnipræsentia humanæ naturæ Christi nostris Theo- logis nunquam in mentem venit, sed ab Adversarijs fin- gitur & illis affingitur. Cogitetur potius illud Augusti- ni tom. II. Epistol. 3. ad Volus. *Hic si ratio quæritur, non erit mirabile, si exemplum poscitur, non erit singulare. De- mus DEUM aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

XXIV. Est ergo Dominium Mesfiæ, à quo משיח appellatur, utriusque ejus naturæ commune, divinum, spi- rituale, amplissimum, infinitum, interminabile, æter- num & cum substantiali præsentia seu adessentiâ u- triusque naturæ, divinæ & humanæ conjunctum. Sed ut ad textum nostrum redeamus, cuius jam patere ar- bitramur, in illis, partim disputat. I. partim hac ipsâ explicatis regij Psalms verbis; *SPIRITUS DOMINI loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Dixit DEUS ISRAEL mibi, locutus est* יְהוָה *PETRA Israelis,*



DOMINATOR HOMINUM JUSTUS, DOMINATOR IN TIMORE DEI, luculentum ac evidens haberi *Trium distinctarum unius aeternae & indivisae essentiae divinae personarum* testimoniū. David n. rex illuminatissimus promissionē de Messia ex domo & posteritate sua oriundo, Regiumq; in Sione thronum, ē quo amplissimā gratiā suaviter dominetur, perpetuā gloriā firmaturo, gratā ac latā mente complexus in hoc veluti Testamento suo ac ultimā fidei confessione totam SS. Trinitatē celebrat, omnesq; tres Deitatis personas, PATREM, FILIUM & SPIRITUM S. distinctē introducit loquentes. Et I. quidem *DEUM Spiritum S.* quem in se & per linguam suam loquutū esse prædicat, vers. 2. Sicuti ipsi quoq;, quod per Prophetas loquutus sit, in S. Scripturā passim appropriatur, unde *πνεῦμα προφητικόν* aliquoties à Justino martyre in Apologiā alterā, & aliis patribus vocatur. II. *DEUM Patrem*, quem *יהוה* vers. 2. & *DEUM Israelis* v. 3. appellat. III. *DEUM Filium*, certis notis ac *τεκνονπιος* descriptum eod. vers. 3. Optimē B. Lutherus Commentar. in hac ultima verba Davidis sapius citato Tom. V. Witteberg. Germ. fol. 539. & Tom. VIII. Jenens. Germ. fol. 141. Er (der Heilige Geist) redet erstlich von dem Gott Israel / der zu David gesprochen / das ist / ihm verheissen habe. Wer nun Gott dieser Sprechher sey / wissen wir Christen aus dem Evangelio Johannis, nemlich ist's der Vater / der im anfang sprach Gen. I. Es werde liecht / vnd sein Wort ist die Person des Sohns / durch welches Wort alles gemacht ist / Joh. I. denselben Sohn nennet der H. Geist durch David hie *יהוה*, den Hott Israel / vnd gerechten Herscher unter den Menschen / der redet auch / das ist / der Heil. Geist führt den Hott

Hort Israel ein/das er auch rede. Also reden alle drey Personen/und ist doch ein Redener/ein Verheissen/eine Verheissung/wie es ein einziger Gott ist. Hæc ibi B. Lutherus. Cum autem de DEO Patre nemo dubitet, de Filio verò, Christo Jesu sit longè maxima, non illius sed hujus divinitatem in sequentibus contra Judæos prolixè adstruit & defendit. Vide Dn. D. Hulsemanni Dialysin Apolog. probl. Gal. th. 71, 72.

XXV. Adducamus & alia loca, in quibus distinctæ personæ Deitatis loquentes introducuntur. In Psalmo II. (qui non de Davide, sed unicè de Domino Davidis Christo Jesu, æterno DEI filio agit, prout & rerum in illo Psalmo comprehensarum sublimitas & Apostolica hujus Psalmi de Christo interpretatio clarè testatur, vide Act. IV. 25. XIII. 33. Hebr. I. 5. V. 5. Apoc. II. 27. XIX. 15.) Omnes tres personæ divinæ tanquam tres loquentes distinctè repræsentantur. I. *Persona DEI Patris* sedens pro tribunali & condemnans impios, qui dederunt operam, ut regnum ejus everterent (ut rectè explicat Francisc. Vatablus in annot.) *Ego verò,* inquit vers. 6. *inungens regem meum prafeci Zioni monti Sanctitatis meæ.* Neq; certè alia persona, quàm æterni & infiniti Patris est; DEUS ungens, Unctum habens, Filium habens, hæreditatem & regnum Orbis habens, & Filio suo dans. II. *Persona æterni DEI Filij,* decretum æterni Patris proponens & explicans v. 7. *Recensebo Decretum: Dominus dixit ad me, Filius meus es, ego hodie genui te.* Nulli a, alii, quàm secundæ SS. Trinitatis personæ illius æterni diviniq; decreti enarratio convenit, quod patet ex supra adductis allegationibus Apostolicis, in quibus omnibus constantissimè ad unicam Christi personam

personam fit applicatio, tum ex magnificis titulis & prerogativis, quæ ita sunt comparatæ, ut in personam finitam non cadant, scil. esse *Messiam, Christum Domini* vers. 2. esse *constitutum Regem & Doctorem totius Ecclesie*, v. 6. (ubi per Sion montem sanctum Domini innuitur Ecclesia DEI) esse *DEI Patris filium, in immutabili illo æternitatis hodie ex substantiâ Patris generatum* v. 7. confer Proverb. VIII. 22. *Esse illum, qui gentes hereditario jure possidet, & extremitates Orbis terrarum tanquam proprietatem occupat* v. 8. *qui Reges in virgâ ferreâ regit, & tanquam vas figuli confringit; qui sibi non servientes in timore & tremore, temporaliter & æternum in irâ suâ deperdit & cui confidentes sunt beati.* v. 9. 10. 11. 12. 13. III. *Persona Spiritus S.* quæ hæc per Davidem enunciat, disertè se à Jehovah Patre & Filio ejus distinguit inqviens v. 2. *concurfant reges terra & principes unâ consultant contra JEHOVAM & contra UNCTUM Ejus; & v. 10. Nunc ergo reges advertite, eruditionem percipite iudices terra, colite Jehovam cum reverentiâ & exultate cum tremore. Osculamini Filium, ut non irascatur.*

XXVI. In Psalmo CX. (qui cum Psalmo II. suavissimè concordat, quemq; Augustinus in enarrat. ejus tom. 8. col. 1272. *brevem numero verborum, magnum pondere sententiarum* vocat, & Cassiodorus (citante Joh. Lorino in Comment.) *quendam Solem fidei nostræ, speculum cœlestis arcani, armarium sanctarum scripturarum, ubi totum summatim dicitur, quod utriusq; Testamenti prædicatione narratur, appellat,*) ipsius JEHOVÆ DEI Patris & Mesia soliloquium & mysteriorum plenissima communicatio proponitur; *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis & c.* Manifestum hoc loco est, aliam Personam

nam

nam esse JEHOVAM, qui dixit, scilicet æternum DEUM Patrem, & aliam personam ADON, ad quem is dixit, sive quem DEUS Pater ad capeffendum thronum dextræ suæ vocavit, nempe æternum DEI Filium, Messiam, v. 5. 6. 7. descriptum, & aliam deniq; personam, quæ Davidem de augustissimo hoc alloquio & inscrutabili ἐνθεονισμῶ informat, nempe Spiritum S. unde & hujus Sacrosanctæ προσφωνήσεως Patris ad Filium sive duarum venerandæ Trinitatis personarum sermocinationis immediata revelatio Spiritui S. per Davidem loquenti peculiariter & in specie adsignatur Matth. XXII, 43. Marc. XII. 36.

XXVII. Horum ac similium locorum Sacræ Scripturæ veram & menti Spiritus S. consentaneam intelligentiam habuisse Fideles V. T. dubium nullum est, neq; n. Psalmos illos claustralium virginum more sine mente & sensu legisse aut decantasse illos existimandum est. Probè, inquam, intellexerunt, & intelligere omninò potuerunt, tum propter perpetuam interpretū θεοπνευστων præsentiam, tum ob sufficientē evidentiam ex ipso sono & posito verborum resultantem, atq; intrinsicam illuminandi vim quæ V. T. inest, Ps. CXIX, 105, imò ut intelligerent & crederent obligati fuerunt, non solū necessitate mandati sed etiā mediis, sine quo non contigit quævis salvari, hæc & similia legentes & meditates sub prisco fœdere Fideles, sive qui per Spiritus S. illuminationē verā fide fuerunt præditi, (hos n. à cæteris carnalibus & rationis judiciū sequentibus Judæis accuratè distinguendos esse monet B. Lutherus comment. in ult. verba Davidis) I. juxta personā DEI Patris nō alium DEUM (ex illo; *Audi Israel Dominus DEUS noster, DEUS unus est, Deut. VI. 4. & nullus amplius præter eum. Deut. IV. 35.*) aliā tamen personam esse, quæ itidem יהוה Gen. XIX. 24. *DEUS*, יהוה Psal. CX. 1. *DEI Filius*, à DEO ab æterno genitus, imò talis filius, ut



*beati omnes sint, qui in eo confidunt Ps. II. 7. & 12. II. Hanc Personā juxta personā DEI Patris sibi religiosè colendā & adorandā esse I. ex mandato Exodi XXIII. 21. *Observa eū, & audi vocem ejus, Ps. II. 10. Osculamini filiū.* (ubi Symmachus habet, *προσκυνήσατε καὶ ἀπαύωσθε* adorete purè) II. ex praxi Jacobi Patriarchæ, qui postquam in luctū prævaluit Gen. XXXII. 28. *flevit & supplex oravit eum* Hos. XII. 4. atq; sic benedictionē impetravit Gen. XXXII. 29. III. Hanc personā, nempe Filii à personā Patris missam, in mundū venturā esse, ex Zach. II. 8. *Sic ait JEHOVA, Dominus exercituum propter gloriam misit me ad gentes v. 10. jubila & gaude Filia Sion, en n. ipse venio & in te habitabo, dicit Dominus, v. 11. & scies, quod Dominus exercituum misit me ad te.* Hic est Dominus exercituū mittens, & Dominus exercituū missus. Notat Vatablus h. l. *Hac omnia de Christo etiā juxta Hebræos. Et Esaia XXXV. 4. Pusillanimes confortamini & nolite timere, ecce Deus vester, ultio advenit. Abenezra fatetur, inquit Helvicus in Vindicat. Loc. potissim. V. T. p. 237. omnes interpretes hunc totum locum de Messia temporibus & salvatione intelligere.* IV. Hanc personam Deitatis humanā carne indutam, fore contritorem capitis serpentini, hoc est, destructorē Diaboli, mortis peccati, ex Gen. III. 15. *Semen mulieris conteret caput serpentis.* Ad quæ verba Franciscus Junius, de S. Trinitate adversus Samosat. defens. III. pag. 220. *Non tacuit, inquit, Deus in Testamento Veteri, (scil. de persona Christi) nam & per Moysen APERTE ostendit, & promisit Adamo & Patribus. Quum enim serpenti diceret, Gen. 3. Semen mulieris conteret caput tuum, audientem Adamum & Evam consolabatur, non de simplici aliquo homine, qui Satanam attriturus esset (nam homo victus & prostratus qui fecisset? aut homo integer, si quis datur, Satanam qui vicisset tam nostro quàm suo nomine? cum nec Angelorum justitia & sanctitas transcendat personam ipsorum, ut de ea cum aliis communicent) sed DEI opus de DEO homine enunciat,**

nunciat, Christo Jesu &c. V. Per hanc personā, quæ simul JEHOVAH, DEUS, DEI filius, & homo, semen mulieris, germen Davidis, DEŪ Patrem servare velle omnes, qui in ipsum credant, ex Hoseæ l. 7. *Et domui Juda miserebor & salvabo eos in Domino DEO suo.* (Chaldaeus vertit; *Eruam eos in verbo seu per verbum Domini.*) En alius est JEHOVAH loquens & alius JEHOVAH, in quo salus præstanda.

XXIIX. Ex his itaq; sciverunt atq; scire omninò potuerunt & debuerunt Fideles Israelitæ sub V. T. I. Plures esse in unâ essentiâ divinâ personas. II. Messiam verum DEŪ esse & DEI Filium nec demū per adventum suum in mundum aut incarnationem distinctam à Patre personam fore, sed jam tū distinctam personam esse. Qui n. Messiam non ut DEUM & distinctam à DEO Patre personam cognoscit, ille Messiam non agnoscit prout in Verbo suo se revelavit, imò is Messia planè nō novit. *Nescit planè, nescit vitam suam, qui Christum, ut verum DEUM, ita & verum hominem ignorat,* inquit Hilarius l. IX. de Trinit. Si jam nō noverunt Messiam Fideles V. T. nec credere in eum, aut confidere illi, nec per illum salvi fieri ullo modo potuerunt. *Hæc est vita æterna* (non solū tempore N. T. sed & tempore V. T.) *ut te cognoscant solum verum DEUM, & quem misisti Jesum Christum* Joh. XVII, 3. illimitatè pronunciat Salvator ipse Joh. VIII. 24. *Amen, Amen dico vobis, nisi credideritis me eum esse,* (scil. DEUM & unigenitum DEI filium, id quod vel ex solâ lapidationis causâ, v. 58. 59. annexâ & per ipsos lapidantes insinuatâ cap. X. 33. *non lapidamus te ob ullum bonum opus, sed ob blasphemiam, quod tu, cum homo sis, facis te ipsum, Deum,* apparet,) *peribitis in peccatis vestris.*

XXIX. Deniq; nec ignorare potuerunt sub V. T. aliam adhuc esse personam divinam, profundissima illa mysteria; de Patre gignente & Filio genito, de JEHOVAH mittente & JEHOVAH mittendo &c. per Prophetas revelantem & an-



nunciantē, *Spiritum* scil. *Sanctum*, qui toties in Scripturâ V. T. disertè nominatur & à Patre & Filio distinguitur. Habetque hîc locū Regula B. Lutheri, Comment. in ult. verba Davidis Tom. III. Witteb. Lat. fol. 86. qui & prævit Chemnitio ad ponendā hujusmodi regulam: *Ubiq; in Scripturâ legis DEUM loqui de DEO, tanquam personam de personâ, ibi tutò affirmes, significari tres personas divinitatis. Duabus n. nominatis; simul significatur persona Spiritus S. loquentis per Scripturas.* Quâ regulâ etiam se convinci patientur adversarii, sive Photiniani sive Judæi, si duas in unâ & singulari Deitate distinctas personas admiserint, *his n. admittis, non habent, quod de tertiâ litigent* docente D. Hornejo Disput. Theol. IV. Sect. I. de S. Trinit. th. XI. confer. Disp. Laterm. de Trinit. statim ab initio, cum magis illi abhorreant à pluralitate, quàm à Trinitate personarum in Deitate, quàm sub unam personam cogere satagunt.

XXX. Qui ab hac orthodoxâ sententiâ recedunt, I. ratione cognitionis & patefactionis, summi hujus Sanctissimæ Trinitatis mysterij, Patriarchas & Prophetas à reliquis Fidelibus V. T. distinguunt, illisq; id ipsum suo quodam modo ex peculiari DEI revelatione cognitum fuisse concedunt. Vide Laterman. disput. de Trinit. th. V. D. G. C. Dissert. de myster. Trin. Th. XIII. Drejerum Erörterung pag. 51. II. negant, *Mysterium Trinitatis personarum divinarum in libris V. T. aperte & perspicuè fuisse propositum, ut qui illis uterentur, & legerent, aut prælegi audirent, id ibi à DEO proponi & revelari potuerint animadvertere & intelligere, atq; adeò obligati fuerint, ut Trinitatem personarum, sive divinitatem Filii & Spiritus S. crederent.* Vide jam dictam D. G. C. dissert. de Myster. Tr. th. I. III. Docent indicia saltem hujus mysterij in V. T. contineri, ibiq; vestigia potius (Trinitatis,) quàm aperta, animumq; convincentia dicta reperiri. Vide D. G. C. loc. cit. th. XIII. Laterman. l. all. IV. Negant

Negant loca illa V. T. (de divinitate Messiae & SS. Trinitate) si seposita auctoritate librorum N. T. solitaria capiantur, ad convincendos serios & pertinaces adversarios, quales imprimis sunt Judaei, idonea sive sufficientia esse. Vide D. G. C. loc. citat. XXXI. Sed respondemus I. Si vel maximè mysterium S. Trinitatis Patriarchis & Prophetis peculiariter fuisset patefactum & cognitum, non tamen fuisset hæc patefactio & cognitio personalis privilegii. Non fuisset ipsis ad privatum usum patefactum, sed eâ fine & intentione ut per ipsos summum hoc mysterium, ad salutem creditu omnibus necessarium, doceretur & fides, quâ illi crediderunt SS. Trinitatē ad posteritatem propagaretur. Hoc n. flagitabat eorum officium. Et si ex paucorum Doctorum Ecclesiae primitivæ, quorum vel integra scripta vel fragmenta aliqua supersunt, dictis atq; sententiis de divinitate Filii DEI & totâ SS. Trinitate indubitato constat, quid cæteri omnes & tota Ecclesia primitiva à principio de illis mysteriis crediderit, cum à Doctoribus suis non dissensisse auditores & laicos nec aliâ nisi à suis magistris sibi propositam fidem edoctos atq; amplexos fuisse putandum sit, quod non negabunt illi, contra quos disputamus; quidni ex fide Patriarcharum & Prophetarum fides totius Judaicæ Ecclesiae, vel potius omnium Fidelium Israelitarum tuto colligi possit. Illi n. non minus ac Priscæ Ecclesiae Doctores suo non defuerunt officio, sed acceptam à DEO mysteriorum fidei intelligentiam fideliter suis auditoribus tradiderunt & inculcarunt. Unde & fidelitatē Abrahami in docendo & erudiendo populo DEUS ipse commendat Gen. XII. 17. 18. & 19. Istac ergo assertione, quâ non aliis, quàm solis Prophetis & Prophetico spiritu præditis conceditur distincta Personarum divinarum cognitio Patriarchis & Prophetis insignis fit injuria, quasi notitiam tam necessariæ fidei articuli, in quâ ceu cardine salus animarum vertitur



titur, aliis, suis nempe sibi commissis auditoribus inviderint, sibiq; solis, in privatum suum usum, quod publicum bonum erat servaverint. Sequitur n., non functos fuisse fideliter munere Prophetico, quod obligabat Prophetas, ut salutis viam reliquis patefacerent, h. e. mysteria fidei atq; imprimis hoc mysteriorum omnium primum, cuius tum ignoratio, tum negatio aeternae animarum saluti obest, a DEO sibi revelatum, Ecclesiae communicarent & ad posteros derivarent. Neq; hoc solum de officio Prophetarum erat, verum etiam, ut libros jam scriptos, ac in primis textus V. T. obscuriores, auditoribus suis explanarent & interpretarentur, adeoque supplerent interpretatione & doctrina sua defectum parvis evidentiae & copia testimoniorum de dogmatibus ad salutem creditu necessariis, quae per accessionem Canonis N. T. eluxit, ut ex periphrasi officiorum *Samuelis, Eliae, & Elisei*, Scholisq; cum publicis tum privatis a Prophetis eorumq; successoribus ad Messiam usq; tempora institutis evidentissime patet. Vide Dn. D. Hulsemanni Dialysin th. XXI, XXII, XXIII. seqq.

XXXII. II. Respondemus, Dicta V. T. de Christi divinitate & SS. Trinitate tam clara esse, aperta & perspicua, ut sufficiens pro illo tempore & explicita horum mysteriorum fides inde percipi ac haberi potuerit, omnesque, qui necessariis instructi intelligendi mediis, ex illis claris dictis V. T. distincta & sufficientem de CHRISTI divinitate & SS. Trinitate hausisse & habuisse notitiam, eandemq; necessitate medii ad consequendam salutem necessariam habere debuisse omnes in universum fideles V. T. Quod itaq; in eiusmodi dictis illa mysteria a DEO proponi & revelari non omnes potuerint animadvertere & intelligere, id nequaquam tribuendum obscuritati dictorum in se, sed mysterii cum humana ratione inconvenientiae, caecitati humani intellectus,
Judaeo-

Judæorum pervicaciæ &c: Hinc in itinere Emmauntico per interpretationem Scripturarum Mosis & Prophetarum demonstrat Salvator suum per perpeffiones in gloriam introitum, non cum accusatione obscuritatis textuum, sed cum increpatione amentia & tarditatis discipulorum, qui ex Scripturis ista non intelligerent Luc. XXIV. 27. Ubi tamen faciles largimur, SS. Trinitatis mysterium in tantâ claritate in V. T. non esse propositum, quanta in N. refulget, textumq; V. T. collatum ad N. T. lumen, obscuriorem esse quoad evidentiam literalem & objectivam. Eo ipso verò non denegatur V. T. sufficiens evidentia, sed tantum gradualis, sive identitas gradus evidentia. Nec propterea testimonia illa V. T. quæ comparata cum testimoniis N. T. non parem habent claritatē & evidentiam, dicenda sunt vestigia, indicia, insinuationes, implicationes, cum tam diserta sint ac perspicua, ut quemvis piè legentem & meditantem ad salutem solidè informare possint.

XXXIII. III. Resp. Si Scriptura Prophetica sepositâ autoritate Scripturæ N. T. & solitariè accepta ad convincendos modernos Judæos Deitatem Christi, & Arianos cœessentialitatem & Photinianos existentiam ejus ante assumptam humanitatem negantes, hodiè non est idonea & sufficiens, sequitur nec olim, cum nondum extarent libri N. T. eam fuisse idoneam & sufficientem, ad convincendam degenerem gentem Judaicam, sed posterius est falsum, quod constat ex exemplo Christi & Apostolorum, Christus n. quotiescunq; cum Judæis disceptabat, ex concessio utrinq; principio, solo scil. Veteris Codicis testimonio eos convincebat. Et *Apollos potens in Scripturis* scil. V. T. *potenter & solidè in publicâ concertatione dicitur Judæos convicisse Jesum esse Christum.* Act. XVIII. 24-28. falsum itaq; & prius. Sanè Magister gentium & cœlorum conscius Apostolus Paulus Scripturam Propheticâ, quam ab infantiâ didicerat Timotheus, à sufficientiâ & perfectione commendat, quando eam *ὡφελιμον*, sufficientem esse ait, non tantum ad *διδασκαλίαν, ἐπανόρθωσιν & παιδείαν* sed etiam ad *ἐλεγχον*, i. e. *redargutionem contradicentium*, atq; ita utilem ut *ἀρτιος, consummatus, absolutus, perfectus sit homo DEI* (i. e. Doctor Ecclesiæ) *ad omne opus bonum ἐζηρητισμένος* perfecte instructus. Quare itaq; firmissima Mosis & prophetarum Scriptura tanquam inutilis, inepta & insufficientis ad Judæorum & fidei Christianæ contra illorū perfidiam

TESTAM. DAVIDICUM SIVE
 perfidiam Apologiam præscribitur & relegatur? Quare V. T. testimo-
 niis seorsim & solitariè sumptis intrinseca idoneitas ad Judæos &
 Photinianos de mysteriis fidei convincendos abjudicatur? Rectius
 proinde docet D. Hornejus Disp. Theol. IV. Sect. II. de S. Trinitate,
 Personarum in Divinis thes. XXII, *Divinitatem Christi* (ex quâ totū
 Mysterium S. Trinitatis pendet eodem asserente) *ex Veteri Test. se-*
orsim, seposito scil. Novo Testamento *contra Photinianos demonstra-*
ri posse. Et thesi LV. *illa Scriptura testimonia* (videl. Ps. II. Esa. XXXV.
 Zachar. II. & alia T. V. in quibus Messias Dominus Exercituum, DEUS
 Israelis, Dominus Sinai, Pater æternitatis, altissimus &c. dicitur) *tam*
expressa & perspicua esse, pro verâ & essentiali divinitate Christi, ut ex-
pressiora nec esse nec mente cõcipi queant. Et paulò post ait, eū qui id ne-
 get, *vel quid expressū sit, nescire, vel helleboro indigere, quo caput purget.*

XXXIV. Perpendat saltem pius Lector, quæ Anabaptistis tribuit
 D. Johan. Cloppenburgius, Theologus Franeqver. in Gangræna,
 Theolog. Anabaptistica, Collegii Theol. publ. disp. II. th. II. *Quæ a.,*
inquit, hîc verba dant (Anabaptistæ) *quibus videri queant nobiscum sen-*
tire de communi Abrahami nobiscum salute & Fide in Christum: ut in-
tellegerit umbras & typos esse umbras & typos venturi Christi. Istis nihil
 ultra largiuntur, quàm extra ordinem Abrahamum ac similes aliquos
 Prophetas illuminatos fuisse supra communem Ecclesiæ Veteris Fidem: ut
 scil. tam latuerit illos, quod vidit & credidit Abraham, quàm nos latent
 illa, quæ vidit Paulus raptus in tertium cælum. Disp. IV. th. 5. *Sine am-*
bagibus (Autores Confessionis oppositæ Faukelio pag. 46.) *sic defi-*
niunt in dogmatis Fidei doctrinam inter se collatam Veteris & N. T. ut V.
G. DEUS qui se in V. T. revelavit in genere, ut DEUM unicum, in N. T.
adjecerit revelationē illā, Tres esse in cœlo, qui testantur. Disp. VII.
 th. 2. *Hîc primo loco se offert Lex primi præcepti, de non habendo, juxta*
verum DEUM Israelis, DEO alio. Hîc ista est Theologiæ Anabaptistica Gan-
 græna, quâ Anti-Trinitariis, Judæis & Pseudo-Christianis produnt arcæ
 Religionis Christianæ. Etenim censent; Unicam tantum personam Pa-
 tris, intellectam & agnitam fuisse in V. Test. nomine unius veri Dei
 Israël: *ut etiam, qui nec dum abnegant mysteriū SS. Trinitatis, velint*
saltem illud minimè revelatum sed velatum fuisse in V. T. Ut, religio-
 ne primi præcepti illius, Ecclesia Vetus unum DEUM Patrem cognove-
 rit & coluerit, ut solū verū DEUM. *Quæ summa est Confessionis Fau-*
kelio oppositæ Artic. 2. à pag. 43. ad 48. Sed finimus hîc cum
 SANCTO, SANCTO, SANCTO DOMINO DEO ZEBAOth.

01 A 6640


ULB Halle 3
003 108 309




Sb.

VD 17







27. 28

TESTAMENTUM
DAVIDICUM,
Sive
ULTIMORUM VERBORUM
DAVIDIS
II. Samuelis XXIII. seqq.
SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.
DISPUTATIO II.
exhibens ἐξήγησιν
versiculi 3.
Quam
In Inclutâ Academiâ VVittebergenfi
PRÆSIDE
JOHAN. ANDREA QVENSTEDT,
SS. THEOL. D. & Prof. Extr.
Dn. Patrono, Præceptore atq; Fautore suo æternum piè de-
venerando,
publicè defendet
CHRISTOPHORUS LÖHNERUS
Neofolio-Hungarus.
In Acroaterio Majori,
Add. V. Maji M. DC. LV.
WITTEBERGÆ,
Typis JORI WILHELMI FINCELII, ANNO MDCLV.

